Vidit opes atavosque suos umbrasque senilis
Magnanimi anchise. didicit quoque iura locorum
Que novis essent adeunda pericula bellis
Inde ferens lassos adverso tramite passus
Cum duce cumea fallit sermone laborem
Dumque iter horrendum per opaca crepuscula carpit
Seu dea tu presens seu dis gratissima dixit
Numinis instar eris semper mihi meque fatebor
Muneris esse tui que me loca mortis adire
Que loca me vise voluisti evadere mortis
Pro quibus aerias meritis evectus ad auras
Templa tibi statuam tribuam tibi turis honores
Respicit hunc vates et suspiratibus haustis
Nec dea sum dixit nec sacri turis honore
Humanum dignare caput. neu nescius erres
Lux eterna mihi cariturаque fine dabatur
Si mea virginitas phebo patuisset amanti
Dum tamen hanc sperat dum precorrumpere donis
Me cupit. elige virgo ait cumea quid optes
Optatis potiere tuis. ego pulveris hausti
Ostendens cumulum quot haberet corpora pulvis
Tot mihi natales contingere vana rogavi
Excidit ut peterem iuvenes quoque protinus annos
Hos tamen ille mihi dabat eternamque iuventam
Si venerem paterer. contempto munere phebi
Innuba permaneo. sed iam felicior etas
Terga dedit. tremuloque gradu venit egra senectus
Que patienda diu est. nam iam mihi secula septem
Acta vides. superest numeros ut pulveris equem
Ter centum messes ter centum musta videre
Tempus erit quo de tanto me corpore parvam
Longa dies faciat consumptaque membra senecta
Ad minimum redigantur onus. nec amata videbor